



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentarius Pavli Bernriedensis, Antiqui Scriptoris, De  
Vita Gegorii VII. Pontif. Max.**

**Paulus <Bernriedensis>**

**Ingolstadii, 1610**

XLII. De causa maioris dilectionis in Paulum, quàm in alios mortales.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65381)

*à pro. contu-  
bernalibus.*

XL. Olim cum plus integro anno demorater cum venerabili Sigeboto tunc Eptatici presbytero; postea vero *Beronicensi* Præposito, post secundam visitationem meam præscire cœpit in nocte, & suis<sup>a</sup> contectalibus primo mane prædicere, quotiescunque Lycum transi-  
turus, & ad eam venturus eram in die. Adhuc enim habitavit hospes meus in Norica ripa fluminis; eo quod in ipsa minus sustineret à superuenientibus importunitates.

XLI. In duabus autem huiuscemodi visitationibus meis reminiscor Herlucam visionibus, & allocutionibus non solum Beati Laurentij, & Wisterpi, sed etiam gloriosæ DEI GENITRICIS MARIÆ lætificatâ fuisse, & audisse quædam obliuioni tradita, quædam propter infirmas mentes silentio velanda. Veruntamen ex tunc cœpit me peccatorem vehementer, ut ipsa iuravit, in CHRISTO diligere, & nulli mortalium plus, quàm mihi de secretis suis credere, magni faciens, quod per aduentum cæcitatæ & surditatis nequaquam fraudata fuisset tantarum reuelationum suauitate.

*h Huius Vdal-  
rici meminit  
quoq; tanquã  
insignis Sici,  
Paulus in Vita  
Greg. VII. non  
procul à fine.*

XLII. Ego iam dudum animaduerti, hanc, illa nesciente, rationem fuisse tantæ erga me dilectionis suæ ex occulta diuinitatis instigatione, quod præ omnibus declaraturus essem ipsius sanctitatem. Talis præsignatio charitatis extitit erga Seuerum Sulpitium in B Martino; erga Adalbertum Ratisponensem Inclusum in moderno<sup>b</sup> Vdalrico Cluniacensis attinentiæ apud Sueuos Præposito, quorum alter composuit, alter precem, materiam, sumptumque dedit ad componendam vitam sui dilectoris.

XLIII. Tertia visitatione mecum ad Herlucam Gebhardus alumnus meus, iam mihi per quinquennium domi,

domi, forisq̄ue sociatus, & apud eam protinus, tanquā  
in spiritu pr̄uisus, inuenit gratiam: perrexit autē pr̄-  
ter voluntatem meam: quoniam separationis consili-  
um capessebam, Nimis enim grauatus eram Ratispo-  
nensium Clericorum infestationibus, qui me, velut au-  
ctorem molestiarum suarum, odio habebant, & pro-  
pter irreprehensibilem<sup>a</sup> eius vitam, & linguam veridi-  
cam. Vix ergò, & tardè solitariam adeptus Herluca cō-  
uentionem, rogauit eam, quatinus diuinam mihi pre-  
cibus suis perquireret voluntatem. At illa vigilantius  
orans, subito vidit sibi approximare Beatum Laurenti-  
um comitante B. Wisterpo, audiuitq̄ue dicentem: *ad-  
huc nolo te discessionis consilium dare*. Hoc autem dixisse  
B. Laurentium latuit me vsq; ad quartum decimum  
annum.

*Paulus multa  
passus est quòd  
schismaticis  
Henricis quar-  
to & quinto  
Regibus, seu  
tertio & quar-  
to Imp. adha-  
rere nollet.  
a Videtur hac  
Socula delen-  
da.*

XLIV. Tunc enim & pr̄dictæ societatis biga quin-  
ti Heinrici persecutione Ratispona depulsa, & Herluca  
sceleratorum rusticorum furoribus ab Hepratico de-  
cussa,<sup>b</sup> conuenit in Beronica; egoq̄ue retractans, quod  
firmiter mihi dissuasisset pr̄notatam disiunctionem,  
& nullam reddidisset rationem, supplicauit ei, vsque ad  
pr̄dictæ visionis expressionem: sponte verò sua nar-  
rauit, quod subiungo.

*Pellitur Pau-  
lus cum Geb-  
hardo suo Ra-  
tisbona.  
b conuenimus.*

XLV. Dum fortè oraret pro quodam familiari suo  
in aduersitatibus posito, quo citius eum DEVS cle-  
mēter eriperet ex hoc mundo, apparens ei Beatus Lau-  
rentius subintulit: *Oportet eum prius maiorapati.*

XLVI. Insequenti die rursus oranti, apparuit sæpe  
dictus Wisterpus Episcopus, & velut exponens, quod  
pr̄die dixerat B. Laurentius, pr̄signati hominis repre-  
sentauit imaginem talia patientem, qualia & leguntur  
de Iacobo Interciso, & referuntur de<sup>c</sup> Theodomaro lu-  
uau-

*c De hoc in Vi-  
ta Greg. VII.*